FABVLA

appropinquaret audiuit in domo presbiteri planctum magnum circa funus viri dei celebrari et interrogauit que tanti esset causa ploratus. Audiens autem gallum venerabilem firmissimum sue familiaritatis custodem de huius seculi emigrasse periculis. misit se in aquam. Neque enim poterat propter nimium dolorem sustinere donec nauicula litus attingeret. Descendens quoque cum hiis qui secum venerat. intrauit domum presbiteri lugubri voce et corporis gestu merorem cordis insinuans. Inuenit autem corpus viri sancti iam inuolutum et in loculo repositum. Aperiensque sarcofagum et exanime cum cadauer inspiciens. amariores cum hac voce lacrimas dedit. Heu heu pater amante heu doctor egregie cur me de domo patris eductum in hiis periculis quasi orphanum dimisisti. Et confidenciam meam quam de tuis consiliis plurimum presumebam. inmatura morte rapuisti. Tibi quidem in perceptione premii quod tam ardenter desiderabas hec tua mors est fructuosa. nobis autem in tot mundialium perturbationum procellis laborantibus. multipliciter est luctuosa. Sed qui de vite corporalis interrupcione dolemus. de anime inmortalis libertate gaudere debemus. certi quia oracionibus non desinas adiuuare. quos consilio et exemplis roborare consueueras. Inter hec venerabilis presbiter eum ut surgeret monuit. et pro requie defuncti ambiciosius diuinum preparet. Intrauerunt itaque ecclesiam. et episcopus preciosissimo salutares hostias ymolauit christo. Finito autem fraterne commemoracionis obsequio. respiciens post tergum vidit fossam in qua sanctum corpus humare volebat. Acceptaque cruce et hiis que exequiis exhibent. intrauerunt domum. volentes thesaurum preciosi corporis ad locum sepulchri deducere. Cumque archam que claudebat cadauer feretro imposita ad fossam sepulture conaretur deferre nullis viribus usquam potuit commoueri. Quod noui generis miraculi dum mutuis mirando colloquiis retractaret. iohannes episcopus dixit. In veritate cognosco hanc sepulchri sedem patri meo gallo non placere. Et iussit presbitero ut duos equos inueniret indomitos. et faceret introduci. Quod cum factum esset. strauerunt eos cum magno labore et ad locum ubi corpus iacebat duxerunt. Et episcopus cum clero huiusmodi oratione dedit. Deus qui potenciam maiestatis tue ubique totus es. pro cuius amore vir iste reliquit patriam suam ut precepta tua conseruaret. fac corpus eius ab hiis equis indomitis ferri in locum quem tua voluntas mitis ipsius prouidit. Cumque finita esset oracio cuncti qui aderant amen responderunt.

31 Congruum videtur in hoc loco retexere miraculum quod dominus inter sui confessoris exequias exhibere dignatus est quo liquido cunctis ostenderet. seruum suum secum veraciter tunc viuere dum carnis huius carcere liberatur. Erat ibi quidam medicus. tanta pedes membrorum iuncturas debilitate contractus. ut penitus inter alias sue infirmitatis molestias incessu pedum careret. Huic dum presbiter indumenta viri dei distribueret pauperibus. caligas eius cum calciamentis dedit. Statimque debilis percepto munere summo repletus gaudio. ut sacras cruribus et plantis aptauit exuuias. pedes arctuum compages repente solutus est. Et exiliens voce clamauit ingenti. et gracias egit domino et beato gallo. pro cuius merita reddita sibi videbat salutem. Videns autem episcopus et cuncti qui aderant sanitatis huius miraculum. unanimiter glorificauerunt deum atque dixerunt. Manifesta virtute dignatus est dominus hodie gloriam serui sui nobis ostendere. Dederunt itaque ei qui sanatus fuerat cereum et presentatus est funus cum toto populo. Hoc primum signum post transitum eius dominus ad memoriam illius declarauit.

32 Inter easdem quoque beati pastoris exequias. aliud non mediocre sanctitatis eius indicium apparuit. Habuit vir dei capsellam de corio facta diligenter seratam. cuius clauem sub tam vigili custodia ipse retinuit. ut nullus discipulorum eius quamdiu vixerat. quid intus seruaret cognoscere potuisset. Hanc autem ex suis humeris pendentem ferre solebat. quocumque ambulauit. At ubi de hac vita migrauit. rupta claui aperuerunt capsellam. et inuenerunt in ea cilicium modicum. et cathenam ferream sanguine aspersa. Deinde corpus inspicientes ingri inuenerunt